

Romam contendit; a Joanne Mocenico, legato, perductus, humaniter ac perhonorifice a Clemente excipitur. Dies statuitur, qua denuo Pontificem adeat. Epulo a Petro Cardinali Aldobrandino exceptus, mox ad Clementem sistitur; nonnulli ex Purpuratis aderant, atque unus vel alter ex iis, qui disputationibus interesse consueverant: a nemine interrogatum paucis Clemens affatur; de iis, quæ ad episcopale munus pertinent, nonnulla sciscitatur; tandem de more confirmat. Præclara honoris argumenta edita; in divi Silvestri basilica, in Quirinali monte, magno totius civitatis concursu ac plausu, a Pontifice ipso solemni ritu consecratur, in ejusdemque folio (uti fieri consuevit) locatur: Pontifex aperto capite, uti minorum Pontificum unus, stat; expletis sacris, Zannius Patriarcha populo benedictionem impertitur. Maxime intimi Clementis Purpurati cæremoniis interfuere, Aldobrandinus, Cynthus, Decius, Marcellus. Festo omnium Sanctorum die inter quatuor pontificis sacris adsistere solitos, honoris ergo adnumeratur; una cum Alexandrino Patriarcha amictus, Pontifici Syrma, qui summus habetur honos, defert. De his a Senatu gratiæ Clementi actæ.

Zannius honoribus cumulatus in patriam concessit, atque in ecclesia administranda ita se gessit, ut priscos illos patres vel vitæ sanctitate vel morum suavitate ac clementia æmulari visus sit; cum præsertim eo tempore non longinqua modo, sed propinqua maxima exempla in præclaro loco posita intueri liceret: Caroli nempe Borromæi, Cardinalis, a cuius obitu quindecim ante annis virtutis ac sanctitatis admiranda multa certaque probatissimorum testium fide clarissima argumenta Deus Optimus Maximus exhibuit; cum plerique, qui variis afflicti ægritudinibus ad ejus patrocinium confugerent, sepulcrum inviserent, stupente tota Mediolani civitate, desperitas vires, valitudinemque amissam reciperent, Quæ cum ea civitas ad Clementem perferri curasset, matureque ac prudenter ab eo expensa fuissent, *Beatum* illum appellans, Cæsari Baronio, Cardinali, præcipit, Mediolanum rescriberet, ne post hac teri humanis vestigiis beati viri sepulcrum Mediolanenses finerent; venerationis ergo locum, quo cor-

1601
Matthæus
Zannius,
Senatu
permitten-
te, Romam
contendit.

Caroli
Borromæi
sanctitas.